



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 164. Respondens autem Præses, ait illis. v. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Principes iniustos! quid mirum si talis populus insipiens sit & cæcutiat, Deū & iustitiam derelinquat, curaque nulla sit salutis & æternitatis.

Domine qui me constituisti unum ex senioribus populi, nempe Sacerdotem, Doctorem, Præfectum &c. ad regendum Dei populum sanctum tuum, & docendum, da gratiam obsecro ut regam bene, doceam bene verbo & exemplo, ne à te quandoque reijci merear, uti malus administrator in tenebras exteriores.

§. 163. *Iesum vero perderent. v. 20.*

Nec solum instabant Principes apud populum ut Barabbas dimitteretur liber, sed etiam ut perderetur & crucifigeretur Iesus tanquam seductor & sine fundamento vero, ob honoris proprii conservationem ex innato invidia veneno quo infecerunt etiam plebem.

Itaque ipsi vel maxime rei sunt effusi sanguinis Christi: ô malitia! ô impietas! quando quis, quod per se facere non potest malum, per alios fecere conatur. Unde Act. 3. rectè arguantur iniustitiæ & Principes Iudæorum, & ipse populus per S. Petrum dicentem: *petiistis virum homicidam donari vobis, authorem autem vita interfecistis.* Vide hic quid faciat ira & livor, quamque periculosa sint hominum iudicia, dum Iesum salutis authorem censuerunt esse mortis authorem, ideoque morte mulcandum: Barabbam vero cædis authorem, censent esse Iesu meliorem, ideoque vita donandum, uti revera evenit.

Domine, ira, livor, invidia, falsa accusatio, iudicia iniqua sunt gravia peccata, & hæc voluisti sustinere in te, ut deleres ea per te, & doceres me, ut caveam ista, & si quæ similia sustinere debeam lubens id faciam propter te, vel secundum te. Domine in hac parte adiuva me.

§. 164. *Respondens autem Præses, ait illis. v. 21.*

Præses proponit quæstionem & resolutionem mentis suæ pro Christo liberando simul ad captandam populi benevolentiam, consilia dirigit. nimirum, quod vellet iuxta morem Iudæorum pro solemnitate festi, in gratiam eorum dimittere captivum quæ vellent, proponit ergo eis duos, *Iesum qui dicitur Christus à Nazareth Galilee, Prophetam magnum & virum sanctum, quem populus secutus fuerat annis tribus, amaverat, benedixerat clamando, Hosanna, Benedictus &c. ob merita, stupenda miracula, quemque Regem creare voluerat.* Et *Barabbam Latronem insignem, qui & seditionem fecerat in Civitate, & paucis ante diebus homicidium, ideo & odiosum populo.* Non dubitabat Pilatus, quin Christum potius dimittendum censeret populus, quam publicum malefactorem, hominem seditiosum, impium homicidam; sed multum in hoc sua eum fefellit
opi-

opinio, dum ex suo alios meretur iudicio, & non per rectum iustitiæ tramitem, sed per politicos agendi modos viam sibi novam parat.

O Cælum! ô terra! lugeat omnis creatura ad stupendum facinus, Virtus despicitur, vitium exaltatur & eligitur, & quidem à senioribus, proventioribus, & doctioribus, in Lege, qui & virtuti & iustitiæ præ cæteris studere deberent, ut sunt Sacerdotes, principes, scribæ. Ecce hi dicunt & docent malum bonum, & bonum malum. ô perversitatem!

Domine, licet bonus dici minime possim ob multitudinem peccatorum meorum; videns tamen hanc agendi rationem valde exhorresco, & ideo precor ne sinas me eo venire intipientiæ, ut velim docere malum bonum & bonum malum, aut à vera iustitia avertere animos fidelium sicut hi principes Iudæorum & Sacerdotes & scribæ verbo & exemplo suo fecerunt magno suo malo.

§. 165. *Quem vultis, ut dimittam vobis, unum ex duobus? v. 21.*

Ex prudentia quadam humana proponit hic duos & non plures Pilatus Iudæis nec alium cum Christo quam Barabbam illum nocentissimum cui sciebat omnes esse offensos ob seditionem, homicidium, laceratum publicum, & ideo ne suspicari quidem poterat illum ab ipsis absolvendum ut vel sic utriusque conspectu, facturum utriusque admonerentur & eligerent, quem amarent, sed quid sit? qui tam prudens, tam sanctus est, & benefactor omnium nostrorum, non solum componitur à Pilato cum omnium pessimo nequam, in periculo vitæ & honoris, sed etiam à populo postponitur. mundus hæc non capit. Hic indignum iudicat, quod vir honestus, bonæ estimationis & vitæ comparetur cum malevolo vitioso & nequam homine; Christus patitur finiri, tolerat, tacet. O Pater! cur pateris, ut Pilatus ita comparet filium tuum? Quia intendo bonum vestrum, illa humilitas ad vestram doctrinam ordinatur. attamen ô bone Iesu quam rite & recte hic potuisses dicere Pilato, & conqueri, quod Isaiæ 40. dixisti? *Cui me comparasti? sed video ô Domine te maiorem adhuc ignominiam expectare, ut superbia nostra, humilitatione maiori sanetur, omnes enim filii huius sæculi, sicut Adam peccaverunt, Domine, quærentes esse sicut Dii, & adificantes turrin Babel cum patribus suis, prevaricatores Legis quam dedisti, nolentes subiici tibi, & currentes cruce collo adversus te. In visceribus peccatorum sedet superbia, regina vitiorum, quasi in scolio suo & impellit stultos ut ambulent in magnis, & in mirabilibus super se. Quod adeo verum est Domine ut & ipsi homines plebei & abjecti quærant excellentiam in stercore vilium exercitiorum suorum, quibus vivunt, nam de Nobilioribus, qui gloriantur in virtute sua, manifestum est quod superbia eorum*